



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi
Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

44 Henrici Angliae Regis scelera, & supplicia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

constituerat, & deinde dicta decreta editio publico abolevit; & paulo post Missa in eodem regno fuit abrogata, ut post alios, quos citat, testatur Genebr. in Chron. lib. 4. §. Henricus VIII. Rex, pag. 724. is inquam, totus muratus, ac à recta fide, & Apostolica via devians, Joannem titulum Sancti Vitalis presbyterum Cardinalem Roffen, qui hæresibus suis, & erroribus consentire noluit, horrenda immanitate, & detestanda saevitia, publicè miserabiliter supplicio tradi, & decollari mandavit, ac fecit; nec non alia quamplures, & non minora delicta contra quamplures Praelatos, & Episcopos, aliasque personas ecclesiasticas, etiam regulares, sibi, ut hæretico, & schismatico, adhaerere recusantes, in eorum personas crudelissima trucidatione patravit, & etiam in mortuos, & eos quidem, quos in Sanctorum numerum relationes, universalis Ecclesia pluribus saeculis venerata est, feritatem exercere non expavit. Divi enim Thomae Cantuarien. Archiepiscopi sacra ossa, quæ in dicto Regno Angliae potissimum ob innumera ab omnipotenti Deo illie perpetrata miracula summa cum veneratione in arca aurea in civitate Cantuarien. servabantur, postquam ipsum divum Thomam ad maiorem religionis contemptum in judicium vocari, & tanquam cötumacem, damnari, ac proditorem, fecerat exhumari, ipsas sancti corporis reliquias comburi, ac cineres in ventum spargi jussit, omnem planè cunctarum gentium crudelitatem superans: cum ne in bello quidem hostes victores saevire in mortuorum cadavera soliti sint, pro quibus, & aliis pluribus suis excessibus: Anno Incarnationis Dominicæ 1538. kal. Januarii, per Paulum Papam III. excom-

municationis, & anathematis poena fuit innodatus, ut in Bull. Roman. c. 20. & Genebrar. in eod. lib. 4. Chronic. pag. 725, s. in odium. Deutamen omnipotestante sceleris impunita non reliquit; nam Rex ipse miser perpetuis agitationibus, angustiis, & angoribus fuit acerrimè vexatus: quoniam dimissa Catharina Austria, legitima conjugi, flagrantibus admundum libidinis ardoribus, & flammis captus, Annam Bolenam, propriam filiam de adulterio ex Thomæ Boleni conjugi suscepit, ut scribit Hieronym. Polin. in hist. eccl. lib. I, cap. 7. de facto in uxorem de sponsavit, quam postea justo Dei iudicio de adulterio convictam publicè decollare fecit, ut eodem lib. I, c. 38. matrimonium tertio pariter de facto cum Joanna Seimera contraxit, quæ vix annum secum vixit. Quâ mortuâ, Annam de Cleves, quartam de sponsavit, ut eod. lib. cap. 45. & 46. quâ repudiata, ad quintas nuptias cum Catharina Hauarda transiit, quam etiam, ut adulteram, poena capitum mulctavit, & sexto cum Catharina Parra nuptias celebravit, ut eodem lib. cap. 47. & tandem ex vita forti, pulchra que statura, in tantam deformitatem corruit, ut ob crassitudinem, neque scalas palatii ascendere posset, & vix portas introire, inter quos animæ, corporis, honoris, & famæ gravissimos cruciatus pluribus annis miserrimam vitam sustinens, ante quinquagesimum quintum suæ ætatis annum, anno sal. 1546. infelicem animam exhalavit, ut per eum Hieronym. Polin. dicit. lib. I, capitulo 51. reliktis ex tot multiplicibus Eduardo filio impubere, qui decimosexto suæ ætatis anno deceperit, ut per eundem Hieronym. Polin. ead. hist. lib. II. 20

